



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Explanatio In Psalmos

Complectens Psalmos à 126 ad 150

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Dusseldorpii, 1765

VD18 15558428-001

Psalmus CXXXII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53443](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53443)

PSALMUS CXXXII.

Titulus, & argumentum: *Canticum graduum.*

Compositus videtur Psalmus, ut à Judæis caneretur, dum, post reditum à captivitate, & reædificatâ urbe, ac templo, cœperunt simul pacificè habitare, remoto schismate, quod erat ante captivitatem inter Regnum Israel, & Regnum Juda. Convenit etiam multitudini, E.g. Cœnobiis, ubi viget concordia, & communio. Sed potissimum locum habet in Cœlesti patriâ, ubi, finitâ peregrinatione, omnes sunt consummati in unum, Joan. 17., & ubi Deus est omnia in omnibus, I. Cor. 15.

ÿ. 1. Ecce quàm bonum, & quàm jucundum habitare fratres in unum.

Vox est eorum, qui jam experiri cœperunt utilitatem, & gustare dulcedinem perfectæ charitatis; quæ duo bona in concordia, & pace fratrum simul habitantium conjunguntur. Utilitas in eo est, quòd virtus unita sit major, fortior, & meliùs, ac faciliùs, conservatur: jucunditas in eo, quòd per charitatem multi sint cor unum, & anima una; unde

quilibet gaudet de bono aliorum non minus, quàm de suo.

v. 2. Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron.

v. 3. Quod descendit in oram vestimenti ejus: sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion.

Jucunditatem habitantium in unum comparat unguento pretioso, & non cuicunque unguento, sed illi, quod descendit in barbam Aaronis, seu quo ungebatur caput summi Pontificis in consecratione, quod erat odoris suavissimi, *Exod. 30.* Per *oram* vestis intellige summitatem ejus, ut patet ex hebraico, & græco. Sensus est: sicut unguentum non communicatur à capite aut barbæ abscissæ, aut vesti in arcâ sepositæ, sed iis velut partibus corpori unitis, & applicatis: Sic nisi fratres habitent in unum, h. e. charitate conjuncti, dona cælestia à capite Christo defluentia non descenderent in barbam, h. e. in Prælatos, neque à barbâ in vestimenta, h. e. in reliquum populum.

Deinde utilitatem habitantium in unum comparat rori; neque enim mon-
tes

res ex rore jucunditatem, sed utilitatem percipiunt. Quomodo autem ros montis Hermon, qui longè distat à Sion, descendat in montem Sion, variis modis exponunt Interpretes. Putat Em. Belarminus Prophetam considerasse, montem Hermon esse altissimum, & amplissimum, atque in eo magnam esse roris abundantiam: montes (Hebræus legit in plurali) Sion esse multò humiliores, & aridiores: & ideo more poëtico dixisse, ex monte Hermon descendere rorem in montes Sion, quasi ille rorem, quo abundat, his, qui eo carent, communicaret; non quòd idem omnino ros, sed similis ex Hermon in Sion descendere videatur. Similitudo aptissima est: sunt enim fratres concordés, quasi tot montes, seu colles Sion, in quos descendit ros Cœlestis à Christo, qui est quasi Hermon altissimus, & rore Cœlesti plenissimus: unde ait Joannes C. I., *Et de plenitudine ejus omnes accepimus.* Non communicat autem Christus nobiscum eam ipsam gratiam, & gloriam numero, quam in se habet, sed aliam similem, & minorem.

V. 4. Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem, & vitam usque in sæculum.

Ratio, cur tantis bonis abundet cœtus fratrum concorditer viventium: quia Deo gratissima est concordia, & charitas fraterna, ideo *illic mandavit benedictionem*, h. e. eam replet copiâ bonorum omnium, idque non ad breve tempus, sed in æternum: nam ideo cum benedictione misit ad eos *vitam usque in sæculum*; quæ omnia hîc in terris habentur in spe, sed in patriâ habentur in re.

PSALMUS CXXXIII.

Titulus, & Argumentum: *Canticum graduum.*

Hic est Psalmus postremus gradualium, qui eos, qui jam feliciter ascenderunt, hortatur, ut vacent perpetuis laudibus: quod est officium habitantium in domo Domini. Pertinet tamen hic Psalmus suo modo ad eos, qui post ædificationem templi, in illo habitabant; & ad eos, qui, dum peregrinantur in terrâ, corde habitare nituntur in Cælo.

V. 1. Ecce nunc benedicite Dominum omnes servi Domini.

Ecce,